

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Discrecio q
cum fonte proximo et primis

Ad rem gerendam qui accedit,
caueat ne id solum modo consideret quod illa res honesta sit,
sed etiam ut habeat efficiendi facultatem.
In quo ipso considerandum est
ne aut temere despicias propter ignauiam,
aut nimis confidas propter cupiditatem.
In omnibus autem negotiis prius quam aggrediare
adhibenda est discrecio.

Considera ergo ne nimis cupias.
Nam in prouerbio dicitur: Qui nimis cupit, parum stringit.

Et parciendum est onus sub quo in uia deficias

iuxta illud:
Qui plus posse putat sua quam natura ministrat,
posse suum superans se minus esse potest.

Tullius libro de officiis.

“Ad rem gerendam qui accedit,
caueat ne id solummodo consideret, quam illa res honesta sit,
sed etiam ut habeat efficiendi facultatem.
In quo ipso considerandum est,
ne aut temere desperet propter ignauiam,
aut minus consideret propter cupiditatem.
In omnibus autem negotiis, prius quam aggrediare,
adhibenda praeparatio est diligens”.

Considera ergo, ne nimis capias;
nam in prouerbio dicitur: Qui nimis capit, parum stringit.
Inde etiam Cato dixit:
Quod potes, id tempta, operis ne pondere pressus /
Succumbat labor, et frustra temptata relinquo.
Talia enim incipere debes, quae ad finem perducere possis,
sicut dicit Seneca: “Majora te ne quaesieris”. “Id quaere,
quod potest inveniri; id disce, quod potest sciri; id opta,
quod optari coram bonis potest. Ne altiori rei te imponas,
in qua statim tremendum cavendumque sit”.
Item alibi dixit: Partiendum est onus, sub quo in via deficias;
nam qui volare satagit, antequam pennas assumat,
irremediabiliter corrui.
Et si forte ad bonitatem vel ad utilitatem vel etiam ad
honorem tantummodo respiceres, et non ad facultatem sive
possibilitatem, cito accideret tibi quod supra dixi:
Qui plus posse putat, sua quam natura ministrat,
/ Posse suum superans, se minus ipse potest.

Albertanus Brixiensis, *Liber consolationis et consilii*, 27
(T. Sundby ed., pp.58-9, ll.15-23, 1-20).

Ait enim Tullius: Ad rem gerendam autem qui accedit,
caueat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit,
sed etiam ut habeat efficiendi facultatem;
in quo ipso considerandum est
ne aut temere desperet propter ignauiam
aut nimis confidat propter cupiditatem.
In omnibus autem negotiis, priusquam adgrediare,
adhibenda est praeparatio diligens.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 1.21.73
(M. Winterbottom ed., p.30, ll.7-12).

Qui plus posse putat sua quam natura ministrat,
/ Posse suum superans, se minus ipse potest.

Gualterius Anglicanus (?), *Esopus moralizatus*, 35.11-12
(A. Wright ed., p.94).